



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De immunitate Ecclesiarum. Consilium DXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

CONSILIVM DXX.

AD quaestionem, an clerici, seu ecclesiastici ratione decimarum, quas habent in locis maritimis, aut apud flumina, quibus aggeres pro avertenda inundatione obijciuntur, onere contributionis pro reparatione hujusmodi aggerum gravari possint pro modo, seu valore ipsarum decimarum? * paucis respondeo, ita quidem regulariter se rem habere, ut, qui decimas debent, clericis deducere non possint expensas, quas faciunt pro collectione vel conservatione fructuum, quia decimae praediales integre solvi debent ex fructibus, ut nati sunt, sine deductione aliquarum expensarum. Ex parte c. Non est c. Tua nobis De decimis, Steph. Bertran. conf. 188. Multis & variis n. 6. vol. 6. siue illae fiant fructuum colligendorum; siue rei conservandae causa: prout evenit & observatur in decimis, quae debentur ex molendinis utriusque generis; aquaticis scilicet, & ad ventum; item quae ex piscariis praestantur, c. Ad haec c. Ex transmissis de decimis, quae sic integraliter solvi debent, ut qui eas praestant, non possint deducere expensas, quae pro reparatione aut restauratione molendini, aut ad piscationem conservandam sunt: pertinent enim haec ad dominum rei, apud quem etiam manent, non ad decimas, quae ex re percipiuntur; ut de eo est expressus textus juris, c. Pastoratus de decimis.

Nihilominus dum queritur, an publicae auctoritate clerici pro conservatione aggerum, & communi utilitate, ratione bonorum suorum (inter quae primas partes tenent decimae) possint cogi ad contributionem? expeditum est, quod possint, l. Ad instructiones C. De sacros. eccles. l. per Bithyniam & ibi Gloss. c. de immunitate nemini concedenda lib. 10. praeterim cum restauratio sumptuosior est, quam ut bona laicorum illi sufficere possint, l. Non minus de immunitate eccles. Quod quoniam Panormitanus ex sententia Petri de Ancharano late deducit, in d. c. Non minus n. 18. vers. & per hoc dixit, quod scilicet ubi agitur de generali utilitate, veluti cum aggeres iuxta mare, vel flumina, propter inundationem, faciendi vel reperiendi sunt; perinde clerici contribuere debeant, ut laici pro modo possessionum, quas eo loco habent; latius non prosequimur. Quis autem hanc taxam facere possit; item quis illam executive exigere; in iure Canonico dubitationem non habet, quin per superiorem Ecclesiasticum, non etiam per laicos, id fieri possit; imo nec per illum possit in casu licito, nisi consulto prius summo Pontifice, d. c. Non minus, ut late & eleganter consulendo pro Capitulo Bulcoducensi, respondit Nicolai Everardi Praeses, conf. 30. In materia quaestionis; & communiter receptum est, ut quoties in quibuscumque causis adversus clericos executive procedendum est, etiam propter tallias Principis, id faciendum sit per Iudicem Ecclesiasticum, v. n. c. in d. c. Non minus, late Natia conf. 17. Viso processu. Interim circumscripta iusta juris ratione, in usu observatur passim contrarium; inventa ratione, quae omittit personis clericorum, executionem faciant seculares adversus eos per invectionem manus in bona eorum temporalia: quod in Galliis adversus libertatem Ecclesiasticam primum sicin Conf. wamef. Tom. II

reductum, Papon. arrestorum lib. 5. tit. 11. cap. 15. & 16. des tailles & impotes, in circumvicinis quoque regionibus usurpari videmus, licet contra apertam juris rationem, & dispositionem.

De immunitate Ecclesiarum.

SUMMARYM.

Immunitas ab onere plaustrorum.

1. Plaustrorum necessitas ad expeditionem Principis omnibus incumbit.
2. Plaustrorum onus quando & quibus non incumbat.
3. Plaustrorum immunitas quomodo concedatur.
4. Plaustrorum onus quid.
5. Privilegium cum non subdito per contractum concessum est irrevocabile.
6. 8. Munera patrimonialia quomodo indicenda.
7. Plaustrorum onus est patrimoniale.
9. Munera ex consuetudine inaequaliter interdum sumini.
10. Decima regulariter muneribus publicis non sunt obnoxia.
11. Acta publica quando & quibus non noceant.

CONSILIVM DXXI.

MIRVM non est, quod pro parte eorum, qui sub Comitatu de Vroenhoven praedia possident, & in hoc communicatorio processu partes Reorum sustinent, adversus R. & Generosum Dominum Commendatorem Baliviae de luncis Ordinis Teutonicorum ejusdem causae Impetrantem, implorata sit invidia plena fiscalis procuratio, l. 2. l. ult. C. Ne fisco vel respub. procur. alieni patrocinij causa in lite praestet, & Fisci seu procuratoris generalis ad defensionem hujus litis interventio, deprecatione & averfione magis, quam peremptione digna. Quippe ex his, quae pro parte dicti Domini Impetrantis allegata & exhibita sunt, satis evidenter perceperunt, seu percipere potuerunt, a jure & ratione prorsus alienum, & per quam absurdum esse, sarcinam & onus necessitatis temonariae, l. Maximatum sub fin. C. De excus. min. lib. 10. l. Senatorum c. De dignitat. lib. 12. seu exhibendorum plaustrorum, l. Neminem C. De sacros. eccles. l. 2. C. De quibus muner. vel praest. se lic. excus. lib. 10. ad expeditionem Ducis Brabantiae tam inaequali onere velle transferre in dictum Impetrantem; ut, cum decimam partem bonorum sub dicto Comitatu non possideat, dimidium totius hujus oneris & sarcinae sustinere, aut cum fisco de ea re in contentionem & disputationem venire debeat. Quia tamen in re Fisci modestia & prudens consilium deprehenditur, quod postquam per decretum, apostillam, seu annotationem Dominorum Commissariorum ad saepius repetitam de hac translatione litis petitionem, eadem petitio ipsi communicata fuit, Fiscus litem in se transferri, aut illi se immiscere noluerit; consensientia nimirum ipsorum plane esse hoc jus, quod Rei adversus Impetrantem seu ejus Ordinem hac in re statuerent: praesertim post tam liberalem dicti Impetrantis oblationem, de sustinendo hoc plaustrorum & temonariae necessitatis onere, pro modo & quantitate bonorum, quae sub dicto Comitatu possidet; ad quam oblationem

R 3 nulla

nulla juris necessitas, sed propria & liberalis Impetrantis voluntas pertraxit.

1. Etsi enim plaustrorum, in felici Principis expeditione exhibendorum, patrimonialis necessitas omnes omnino fundorum possessores constringat, & obstrictos habeat, etiam sacrosanctas ecclesias, d. l. Neminem, l. Nullus C. De censu publico lib. 12. nullā etiam illis immunitate aut pragmaticā sanctione, nullisq; privilegijs suffragantibus, l. 2. C. De quibus muner. ven. se liceat excus. Et d. l. Maximatum in fine: hoc tamen indubitatē verum est, speciale & particulare adversus hanc necessitatem privilegium ad excusationem ab hoc etiam
2. munere tribuere. * Ut generalia quidem immunitatis privilegia à muneribus publicis, sive civilibus patrimonialibus, aut personalibus, non profint adversus hanc angariarum, parangariarum, & plaustrorum necessitatem: profit tamen à Principe specialiter hujus quoque muneris seu oneris immunitas. Prout etiam militibus, tamen veteranis & actu non militantibus, à jure datum hoc immunitatis privilegium, eis prodest, l. fin. §. penult. De muner. & honorib. tantum enim interest inter generale immunitatis privilegium, & id quod in specie concessum est. Vnde Andreas Alciatus, in d. l. Neminem, Imperatorum constitutionem, in d. l. Neminem, de hujus temonarij oneris excusatione & immunitate nemini, & ne quidem sacrosanctis locis seu Ecclesijs permittendā, rectē ita interpretatur, quod deroget habentibus generalia sive Juris sive Principis privilegia immunitatis; ita quod licet clerici & sacrosanctae Ecclesiae ab omnibus exactionibus & muneribus sint immunes, l. 2. C. De epis. & cler. non sint tamen immunes ab hoc speciali onere plaustrorum; nisi hoc quoque eis in specie pro privilegio à potestate habente, l. Munerum §. patrimoniorum in fine de muner. & honorib. concessum fuerit, l. Sum munerum in fine de vacat. & excusat. muner. quod ad plaustrorum seu temonariam necessitatem non teneantur:
3. * in specie enim hoc concedi & retineri posse, dubium non est. Extant illius aliquot in jure exempla de Senatoribus, d. l. Senatorum c. de dignitat. lib. 12. de proximis sacrorum scriniorum, l. Tuberminus C. De proxim. sacror. scrin. lib. 12. de palatinis sacrarum largitionum, l. 1. C. De palatinis sac. largit. quibus ei, quod sic peculiariter pro privilegio concessum est adversus onus temonarium, non potest censerī derogatum per generalem privilegiorum derogationem: ut regulariter non per genus speciei, sed per speciem generi derogatur, c. Generi De reg. iur. lib. 6.

Cum igitur per specialia privilegia Ioannis, Wenceslai, Ioannae, Antonij, Philippi, Caroli, Mariae, Maximiliani, Philippi, Caroli Imperatoris; & modernae Regiae Catholicae Majestatis Ducum Brabantiae, hoc dictae Baliviae de Iuncis inter alia specialiter concessum sit; quod non tantum illius personae, sed etiam omnia & singula bona sub ipsorum superioritate ultra citraque Mosam sita, sint & maneant libera ab omni servitio, corweida, hoc est operis, tallijs, & alijs omnibus oneribus; expeditum esse videtur, quod ab hoc onere temonario seu plaustrorum, sint & debeant

esse immunia & exempta. * Nihil enim aliud est plaustrorum seu vehicularis exhibitio, quam servitij & operarum praestatio sumptu possessoris, cum heres §. Stichus de statu lib. l. 1. d. l. Munerum §. patrimoniorum de muner. & honorib. Quae specialiter sic dictae Baliviae concessa immunitas, deprehenditur concessa magis per formam contractus & remunerationis, quam titulo merae & purae donationis seu liberalitatis: ex ea scilicet causā, quod dicta Balivia, quae olim suam residentiam tenere solebat extra ditiones Ducum Brabantiae, illam ad oppidum Trajectense sub superioritate Ducatus Brabantiae transtulerit, Nicolaus Ever. Praefes cons. 21. Visis scripturis post princ. Speculat. de censib. §. 1. vers. Quid si universitas. * Ita quod principium huius concessionis contineat privilegium non subdito concessum per viam contractus: quod longe potentius est eo, quod subdito & titulo mere liberali conceditur; & inter caetera in eo, quod exactissime observari debeat & per Principem concedentem, seu ejus successorem, nulla ratione revocari aut infringi possit, l. a. consil. 1. nu. 2. vol. 1. Praesed. cons. 12. & notand. à Valle consil. 13. nu. 30. vol. 3. Car. Ruyss consil. 105. Super eo de quo nu. 3. vol. 5.

Quae dictae immunitatis firmitas & potentia dicto Impetranti sufficere poterat ad simpliciter à se avertendum omnem exactionem seu contributionem hujus oneris vehicularis; & ad nihil omnino ex ea causa praestandum: ideòque admodum liberalis, & extra omnem necessitatem facta censerī debeat obligatio, quam Dominus Impetrans, & ante eum ejus praedecessor (cum protectione non praedicii) fecerunt de sustinendo hoc onere ad ratam, & proportionem bonorum, quae dicta Balivia de Iuncis sub praetacto Comitatu possidet; sic quod cum gratiarum actione per Reos acceptari debebat, non contemni nec rejici multo minus ad hujus litis & judicii contentionem res pertrahi.

Quippe constituto etiam & praesupposito, quod, cessante omni speciali privilegio, bona dictae Baliviae sub hoc Comitatu huic oneri vehiculari essent aut censerī possent obnoxia: hoc nihilominus semper verum maneret, quod oneris huius sustinendi necessitas non posset dictae Baliviae aliter, quam geometricā proportionem adscribi, non pro una certa arithmetica quota, dimidia, tertia, aut aliqua minore vel majore, Car. Ruyss consil. 116. Visa ac bene nu. 5. vol. 4. sed pro modo agrorum seu bonorum, quae Balivia ibi possidet. * Est enim (ut diximus) hoc temonarium, plaustrale, seu vehiculare munus & onus, non personale, sed patrimoniale & reale, d. l. 1. d. §. patrimoniorum, commensuratum, ac proportionarum ad modum seu quantitatem ipsorum bonorum, ut pro modo fortunarum, & non ultra, tale onus sustineatur, l. 1. C. De muner. patrim. lib. 10. l. per Bithyniam c. De immuni. nemini conced. lib. 10. * Cum enim haec muneris non nisi possessoribus indicantur, l. rescripto §. fin. De muner. & honorib. modum, ordinem, seu proportionem possessionum seu rerum possessorum excedere non debent: sed semper ad illas, ut effectus ad suam causam, commensurari, Bartol. & alij ml. 4. §. auctor. de re iudic. Baldus

Baldus in l. Etiam nu. 15. Cod. De execut. rei iud. non etiam per quotas arithmetice inter possessores dividi, *Ruinus d. nu. 5.* Aequalitas enim hac in re servanda, non aliquis præ cæteris gravandus, l. fin. c. Quemad. civil. munera indicantur lib. 10. Vique adeo ut modus contributionis & exactionis hac in re respectu personæ non sit uniformis, sed pro modo fortunarum variet, hoc est crescat vel minuat, prout quisque possessorum latius vel angustius fundos seu agros possidet, l. forma §. illam De censib. Bald. in d. l. Etiam nu. 15.

Vt indubitatum sit, extra & præter omnem æquitatem esse, dictam Baliviam, quæ decimam partem possessionum sub dicto Comitatu non possidet, saltem ultra illam possidere non probatur aut allegatur, onerare non decimam, sed dimidiā parte hujus vehicularis oneris. Ita quod ad prædium æqualitatis & peræquationis confugere posset, quod hujus gravioris & inæqualis muneris seu oneris vehicularis sarcinam & onus aliquo tempore sustinisset, l. Qui gravatos c. De censib. lib. 11. Eoque casu Amplissimi DD. Commissariorum officium versaretur in constituenda æqualitate oneris, pro modo bonorum seu possessionum, d. §. illam; & in dicta parte dimidiā, etiam si hæcenus vel per errorem, vel per conniventiam tolerata fuisset, reducenda ad eam portionem, quam ratio & proportio possessionum seu bonorum postulare, l. Fundos c. Desind. parimon. lib. 11. l. penult. & ult. c. De annongis & tribut. lib. 10. Ut proinde in proposito nihil dubitandum videatur, quin nimis liberalis sit Imperantis, saltem conditionalis, & sub protestatione facta oblatio, de sustinendo hoc onere pro modo suorum bonorum.

9 Et quamvis siue consuetudine siue præscriptione induci possit, quod in collectis personalibus & realibus, seu civilibus & patrimoniorum oneribus inæqualiter onus sustineri, & in onere sustinendo perserverari possit, *Ruinus d. consil. 116. nu. 2.* in proposito tamen casu non constat, nec etiam ex adverso offertur probatio, quod dicta Balivia umquam hoc onus vehicularis indici sustinuerit, ad quamcumque etiam minorem portionem; multo minus ad rationem & proportionem dictæ dimidiæ partis. Quinimod ex contrario magis constat pro parte dictæ Baliviæ semper fuisse contradictum hujusmodi iniquæ aliorum Comitatenensium dicti Comitatus postulationi. Id quod aperte satis deprehendi potest ex supplici libello, seu requesta, quam pridem Dominus Commendator pro tempore adversus similem Comitatenensium conatum exhibuit, per cuius exhibitionem progressus in hujusmodi conatu etiam cohibitus fuit, & ab ulteriore exactione similique conatu cessatum. Quod evidens indicium est, dictos Comitatenenses non fuisse nec esse in aliqua possessione, seu quasi, compellendi dictam Baliviam ad adequatè sustinendum dimidiā dicti plautralis seu vehicularis oneris: ita ut vel possessionis, vel consuetudinis contrariæ, nullum hic sit fundamentum.

10 In eo quoque aberrant Comitatenenses, quod sibi persuadeant, dictam Baliviam latius teneri ad onera realia Comitatus ferenda; ex eo, quod præter diversos fundos & agros, habeant quoque & possideant decimas in aliquo districtu ejusdem Comi-

Consil. Wamef. Tom. II.

tatus; propterea quod regulariter decimæ Ecclesiasticæ numquam sint, nec censerī debeant, subjectæ collectis, tallijs, aut gabellis: & aperta sit juris tam divini quam humani constitutio, c. Cum non sit De decimis, quod decimæ liberè & absolute percipi debeant ante omnem solutionem aut deductionem tributorum, aut aliorum onerum seu munerum publicorum. Quod evidens indicium est, decimas tributis & collectis nulla ratione esse subjectas: ut etiam regulariter quæcumque rei onera siue ordinaria, siue accidentaria, sunt ipsi divinis posteriora, c. pastoralis De decimis, Steph. Benivandi consil. 188. Multis & varijs vol. 6.

Vnum est, in quo Rei tandem pressius confidunt, quod in regestis dicti Comitatus scriptum sit recordium; quo continetur, quod tempore expeditionis Balivia de luncis teneatur ad exhibitionem integri currus cum quatuor equis, & duobus ministris; Communitas verò ad medium dumtaxat currum, cum duobus equis, & uno ministro; cujus alteram partem simili onere exhibere teneatur Abbas Corbiensis de sua villa in Montenaken. Cæterum quod nulla fides hujusmodi recordio sit adhibenda ad commodum Comitatenensium, & in præjudicium præfatæ Baliviæ, ex multis deprehenditur. Primo, quod nihil aliud sit, quam nudum testimonium, & quidem sine testibus, cui iudex fidem adhibere non debet, l. 3. §. idem divus Hadrianus De testib. Deinde quod non constet præsentibus aut vocatis hominibus dictæ Baliviæ hoc testimonium esse in acta publica redactum. Ut enim gesta translata in acta publica perpetuam firmitatem habeant, & fidem probationis faciant in præjudicium alicujus, necesse est, ut constet ea legitime gesta esse; & inter cætera, parte, cujus interest, vel præsentem vel citatam, l. Gesta & ibi gloss. magna & Doct. c. De re iudic. cum nec formalis testificatio testium recepta & in scriptis redacta, ullius sit roboris, si pars ad hoc non sit citata, c. 2. De testib. ex generali juris ratione, quæ nullus actus etiam judicarius nulli tertio ad illum non citato, ut non prodest, l. certum §. si quis absente De confess. ita nec nocere potest, l. De unoquoque De re iudic. Tertio, quod hoc testimonium sit ipsi Comitatu proprium, & in re propria, ad onerationem præfatæ Baliviæ, & sui exonerationem, & sic sine omni fide, quam nemo umquam sufficienter facit in re propria, l. Nuplus De testib. l. Omnibus c. cod. Quarto, quod hoc recordium seu testimonium non sit nisi acclamatio & vox populi, & ad illius sensum seu planctum; quæ ut vana attendi, aut præjudicium alterius bono juri adferre non debet, l. Decurionum c. De panis l. si privatus Qui & a quib. manus. Quinto, quod obscuris, dubijs, & ambiguis verbis sit conceptum & descriptum; ut expedire dici non possit, quod referri debeant ultima illius verba; an ad querelam dictæ Baliviæ quasi prægavata; an ad querelam Comitatenensium, quasi majore onere dictæ Baliviæ gravari adhuc deberet. Quamvis verosimilius sit illa referenda esse ad querelam Baliviæ, nolentis ad dimidiū hujusmodi oneris teneri; tum ex eo, quod obscura hæc verborum prolatio accipi debeat contra Comitatenenses illa proferentes, cum potuissent apertius, & sine ambigui-

R r 4

bigui.

biguitate loqui, l. *Veneribus De pactis*; cum quod totum hoc testimonium sit ex sola assertione Comitatus. Eo enim spectant hæc illius verba, *Die onderfaten vande dyt Dorpen seggen ende inbringhen*; hoc est, incolæ rumpagorum dicunt & allegant. Quos non est verosimile in eodem assertionis & declarationis actu voluisse conqueri de propria eorum assertione. Denique ex eo, quod veritas huiusmodi assertionis (si veritatem continere dici posset, prout non) contineret exorbitantem inæqualitatem in sustinendo hoc onere vehiculari; dum Balivæ, quæ decimam partem possessionum non habet, adscribitur dimidium totius oneris; quod iustam querelæ occasionem habet: quæ nulla potest esse, ipsis Comitatus maximam possessionum partem obtinentibus. In præsupposita autem veritate huiusmodi querimoniarum consistit evidentissimum argumentum, quod assertio Comitatus veritatem non contineat, & sic nuda tantum sit sine fide veri. Atque ita qua ratione nemo scribendo alium sibi debitorem facit, l. *Instrumenta*, l. *Rationes*, l. *Exemplo C. De probat.* ita nec asserendo aut dicendo sine alia probatione, l. *De resib. l. Actor C. De probat.* Quod in proposito dubitationem habere non potest, ex quo nec probatur, nec probari offertur, quod dicta Balivia hoc onus vehiculare pro dimidia parte sustinuerit. Atque ita omnibus maturis expensis, iustam querimoniam & contradicendi causam habereprehenditur dicta Balivia, quæ cum secundum prædicta se in totum ab hoc onere liberare posset, offert tamen contribuere pro modo suarum possessionum; & sic ratione peræquationis plus æquo offerre reprehenditur: quam peræquationis rationem idcirco Amplissimos Dominos Commissarios, ut peræquatores, sequi convenit.

De immunitate Ecclesiarum.

S V M M A R I U M.

Immunitas vectigalium ripatici & appulsi-
onis ad litus, quod stapulam vocant.

1. Possessorio iudicio quomodo obtineat actor.
2. Fluminum usus liber iure gentium.
3. 7. Vectigalia generaliter constituta non extenduntur ad clericos.
4. 9. Vectigal non debet regulariter, qui rem vehit ad usum suum.
5. Vectigal an debeatur ex rebus proprijs nobis natis.
6. 8. 10. Ordinis Teutonici privilegia.
11. Immunitas à vectigalibus non extenditur ad ea, quæ negotiandi causa devehuntur.
12. Immunitatem à vectigalibus habere præsumitur, qui non invenitur descriptus in libro gabellarum.

CONSILIUM DXXII.

ANGUSTIIS finibus concluditur causa possessoria, quæ in Amplissimo Concilio Provinciali Hollandiæ agitur, inter Commendatorem domus Ord. Teutonici B. Mariæ Hierosolymitanæ de Pitzemburch in Oppido Mechliniensi, Impetrantem; adversus Magistratum Oppidi Dordracensis intervenientem pro vidua Wilhelmi Bevere Receptoris iurium stapulæ dicti Oppidi Opponentem. De paucis etenim quæritur, & circa pauca versatur facti & iuris disputatio, * Et quamvis tribus verbis de-

monstrari posset iustitia causæ Domini Impetrantis, ad obtinendam pro eo in hac causa victoriam; per demonstrationem possessionis, seu quasi, iuris immunitatis & exemptionis, ac probationem turbata huiusmodi possessionis, per exactum vectigal seu gabellam stapulæ, per dictum quondam Wilhelmum indebitè exactum: cum hæc duo extrema sufficiant pro obtinendo in iudicio possessionis, Ioan. Fab. in §. *retinenda nu. 25. Insist. de interditi*: quo tamen ex conjunctione iustitiæ causæ proprietatis ac possessionis illustrior sit victoriæ materia, & certior spes, in utrumque inquiremus, & inquirendo deducemus, in Oppido Dordracensi nullum jus umquam fuisse, nec esse, quo præfatum D. Commendatorem, seu ejus ministrum secundum flumine per Rhenum ex Germania devehentem vina, cogere possit, ut ad litus seu ripam appellat, aliæque statuta ac jura stapulæ observet; ideoque exactorem præfati Wilhelmi esse injustam & continere factum merè torbativum.

Et in primis quidem stat pro Impetrante iuris communis decisio, quod fluminum publicorum (qualis sine ullo dubio est Rhenus Germanicus) usus iure gentium liber sit, & cuique liberum per eum cum suis rebus, aut etiam mercibus, quocumque velit navigare, l. *Riparum De rerum divis. l. Quominus De fluminib.* * Secundo, quod quæcumque vectigalium, gabellarum, aut datiarum vel undinarum seu mercatus gratiâ legitime, hoc est cum Principis auctoritate seu concessione, adversus hanc libertatem constituuntur gravamina, non extendantur ad clericos seu religiosos, l. *Placet C. De sacros. Eccles. c. Quamquam de censib. lib. 6. Clem. præfati eod. tit. l. 2. C. Mulieribus in quo loco lib. 10. Bald. in d. l. placet C. De sacros. Eccles. generaliter etiam constitutione ac sanctione lata, quæ casta & irrita censentur omnia statuta atque ordinationes, quibus Ecclesiæ, Ecclesiasticarumque personarum libertas quoquo modo læditur aut restringitur, *Ausent. Cassa C. De sacros. Eccles.**

Tertio, facit iterum pro Impetrante alia iuris communis definitio, quæ ab huiusmodi omnibus gravaminibus liberantur, & ijs comprehendi numquam intelliguntur, qui res suas navi, aut curru vehunt ad usum suum aut suæ familiæ proprium; præsertim si etiam in fundis proprijs nate sunt, l. *Universi Cod. De vectigal. & commiss. l. In lege censoria De verbos. signif. l. Si publicanus §. de rebus De publicanis, latè Bertachin. in tract. de gabellis 2. membro 8. partis principalis. Ad has enim res non debent oppidorum huiusmodi ordinationes aut statuta (quas factiones appellat Baldus, conf. 241. De his que pro victu vol. 4.) extendi, Ioan. de Imola consil. 84. Visâ locutione nu. 2. * Quinimo etiam ab his gravaminibus eximi plerique putant eas res, quæ non usus proprii causâ vehuntur, si modò in fundis aut prædijs proprijs nate sint, Decius in c. *Ecclesiæ sanctæ Mariæ nu. 57. de consil. Cravetta consil. 6. plura videnda nu. 116.**

Quarto, pro Impetrante stant plurima privilegia, non tantum Pontificia, & Imperialia; sed etiam specialia Comitum Hollandiæ. Protulit enim Impetrans unum Alexandri Papæ Quartis quo, sub interminatione apathematis, nemo à Fratribus dicti militaris Ordinis exigere audeat, vel